

## Anno B

## Lectio prima

*In tempore illo salvabitur populus tuus.*

## Lectio libri Daniélis prophétæ 12, 1-3

In tēpore illo consúrget Míchael princeps magnus, qui stat pro fíliis pópuli tui; et véniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœpérunt usque ad tempus illud. Et in tēpore illo salvábitur pópulus tuus, omnis qui invéntus fúerit scriptus in libro.

Et multi de his qui dórmiunt in terræ púlvere evigilábunt: álii in vitam ætérnam, et álii in oppróbrium ut vídeant semper.

Qui autem docti fúerint fulgébunt quasi splendor firmaménti, et qui ad iustítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. — Verbum Dómini.

## Psalmus responsorius

Ps 15, 5 et 8. 9-10. 11 (R.: 1)

R. Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:  
tu es qui détines sortem meam.

Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,  
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. R.

9 Propter hoc lætátum est cor meum,  
et exsultavérunt præcórdia mea;  
ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

10 Quóniam non derelínques  
ánimam meam in inférno,  
nec dabis sanctum' tuum vidére corruptiónem. R.

11 Notas mihi fácies vias vitæ,  
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,  
delectatiónes in délixtera tua  
usque in finem. R.